

versus tenuiores quam à fronte ad di e murum, existât, sed compari in vniuersum crassitie attollâtur. Expediet igitur & pro k molem quampiam crassio rem ex lapide robusto excitatam ita confirmare, vt infraçto obnixu murorum ad se confluentium vim incumbentem sustineat. Iam in postico aggeris expedita est murorum ratio ac minimè proluxa. Nam a b l m quadratum muris quinque ad cancellorum texturam distinguetur, quorum singuli quinos pedes sui latitudine sortientur. Atque hos deinde licebit vel transuersis muris quadrato lapide crassis, vel ingesta terra confirmare, prout illi videbitur, qui operi struendo præfectus erit. Porrò scalarum ratio antè à nobis sufficienter expedita est, de numero hoc vnum commonendum est, huius valli vsum, non plures vnus desiderare, quas ad murum transuersum in vtrolibet latere ex urbano solo in aggerem surrigere licebit. Munitionum quoq; præceptio facilis est, nimirum, vt ad aggeris radicem quinque propugnacula laxa denis quodq; pedibus, alta tredecim destinètur. Descriptis fundamentis, ac partitione inferiorum constituta, proximus est aggeris attollendi modus. Ex imo igitur ciuitatis fossæ alueo hætenus excitabitur vallum, dum altitudinem vrbanæ muri adæquet, vt missilium præ muro libera sit directio. Et altitudinis quidè modus pedum plus minus quindecim statuendus est. Atq; murus ita comparandus est, vt à fronte vtrinque dextrà & sinistra, cõsimiliter & à tergo super in vallum propagetur atq; procumbat. Hac enim operis ratione constituta, assequemur vt omnia mutuò suffulta, mutuisq; subsidiis confirmata, solide consistant. Porrò aggeris dimensio lata per n i lineam, cētum viginti, longa quidem centenos pedes assequetur. Iam si lapidum concinnationem positumq; ad supra finitam rationem accommodabimus, prodibit munitione ad tormentorum confutationem non minus valida quàm apta. Thoracis munimen hic itidem vt supra instituendum est, vt pedes quatuor altitudine nō excedat. Est itaq; super aggere thoracis definitio talis vsurpanda, quæ planam, simplicem, ac minime sinuosam superficiem imitata, crassitie pedum vt minimū octodecim, altitudine ad bombardarum vsum accommodata confurgat. Cæterum stationes super hoc vallo nullæ munientur, nisi quod tormenta asseribus tutelaribus contegēda sunt. Asserum quidem huiusmodi sit accommodatio, vt à frōte sub lapidum positionem aliquantum depressi, & periculo careant, & integro missilium impetentium robori minus sint expoliti: ita enim fiet, vt iacula prius muro refracta, & velut ex obliquo insultantia leuiter perferât.

Postremò ex tormentis maioribus septem instruatur hic agger, ita ordinatis, vt quaque versus in appellentem hostem commodè dirigantur. Atque huius aggeris fundamenta superius & inferius, cõsimiliter & attollendi eius rationem lineamentis exprimam in hunc modum conformatis.

